

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Festing


**Johannis Festingi[i]. I. Doct. & Prof. Publ: ordin. Programma Disputationibus  
XIIIX. Ludwellianis, Quas Ipso praesidee Publicis eruditorum Disquisitionibus  
subiicient Nonnulli Iurisprudentiae Cultores Nobiliss. Praemissum**

Rostochi[i]: Keilenbergius, [ca. 1683]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742473554>

Druck    Freier  Zugang





T. 515.<sup>3</sup>

~~A-1257(1)-4.~~

45

JOHANNIS FESTINGI,  
J. Doct. & Prof. Publ: ordin.

# PROGRAMMA Disputationibus XIIIX.

LUDVVELLIANIS,

No 20

Quas  
Ipso praesidec  
Publicis eruditorum Disquisitionibus  
subjiciunt  
Nonnulli Jurisprudentiae Cultores  
Nobiliss.  
Præmissum.

ROSTOCHI,

TERIS VIDUE B. FRIDERICI KEILENBERGI, UNIVERS. TYPOGRA.



A. 1257(4) 4

Opus D.

# MAGNIFICO DN. RECTORI

Nobilissimo Amplissimo utri-  
usq; Republicæ Senatui, ceterisq; omni-  
bus omnium ordinum Civibus Academicis &  
Literatis, horumq; Fautoribus  
benevolis,

S



Væ situm est; Num Germania  
laboret hodiernæ civium literatorum  
multitudine? qvocircà variis studiis  
& affectibus decertarunt invicem.  
Scilicet ut potissimas eorum explicem  
rationes, qvi contra literatorum multi-  
tudinem disputant; inde dicunt, qvod  
vix castra horrida seqvatur, qvi Mu-  
farum solitudini assverit; tum nec mercator habeat, qvem  
in Indiam mittat petitorum ebū; nec opifices possint rei publi-  
cæ præstare necessaria. Sed per versa isthac est disputandi ra-  
tio. qvandoqyidem militum qvidem numerus haec tenus non de-  
ficit, modò cæteri adsint rerum agendarum nervi; neqve mer-  
catura damnum pati ur, qvia pauci sint, qvi negotientur,  
sed qvia mercatores luxuriari prius didicerunt & pecuniæ illu-  
dere, qvam lucrari; opificium qvoqve non exiguum proventum  
tempus omne attulit. Eapropter nullum à literatorum mul-  
titudine detrimentum. Ast verò qvænam est fortuna literarum,  
aut superfluens illa literatorum copia? Certe, nemo nescit, qvi  
bono genere atqve loco, non adèd multos esse bonos nostro se-  
culo, & literatos, ut potius freqvens sit inter doctos de *barba-*  
*rie* præ sagium. Equidem etiamsi Sacra nostra Ger-  
mania de qvibusdam gaudeat literatis, qvorum tamen nume-  
rum nemo dixerit superfluum, qvia optimorum hominum.

A2                          num  
est qm sive sicuti & sicuti in se sicuti  
omnem sicuti, qm sicuti me sicuti sicuti  
est.

nunquam plenus numerus; attamen unius ævi hæc est turba...  
per exigua, nî augmentum capiat ex futurâ juventute, qvæ suc-  
crescens suppleat silicerniorum partes. Sed ea quidem plera-  
que deficit in primo flore, sicut ager in vete floriger ante mes-  
sem exarescit; frumentum in lolium, & vites degenerant in la-  
bruscas. Scilicet cum ratione tamen errant mortales. Qyando  
quidem sine eruditione hodiènum parari dignitates admirantur,  
gaudent, & in otio subsellia somniant; tum gratis nolunt  
esse boni, nec amplius virtus ex se ipsa placet, cui perforata ve-  
stis & attriti calcei. *Sic uir ad astra.* Sed videant ne lapsu  
graviore ruant. etenim fortuna cœca non cuicunq; favet, qvin  
virtus potius suis ornat, & fortunæ socia indignis viam præ-  
dit. Equidem scitum est illud Demophili in *Similitudinibus*  
qvæ vita regni invocat, cum eruditionem, similem dicit co-  
ronæ aureæ, qvæ honorem simul cum pretio conjunctum ha-  
bet. qvandoquidem virtus (cui eruditio cognatum nomen) absolu-  
tam largitur felicitatem, qvæ supra omnia non indiget fortuitis,

*Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,*

*Divitiis animosa suis immotaq; cunctis*

*Casibus ex alta mortalia despicit arce.*

*Hanc tamen invitam blandè vestigat & ultro*

*Ambit bonos.*

Sic has virtutis laudes atque dotes ipsi proprias vix acqui-  
rit nisi doctus, qvæ eleganter & perfectiores reddit erudi-  
tio. Ô sanam mentis bene constitutæ affectionem! eruditionem  
puto, qvæ nobili indoli familiaris usu facta probum inducit  
habitum, qvæque inter prospera est ornamentum, inter adversa  
refugium, autore Aristotele apud Lærtium. *Ita virtus atq;  
eruditio præmium sibi pulcherrimum.* Sed nec sola sibi placet  
eruditio, qvandoquidem coelestes radii nec fugiunt oculos Prin-  
cipum, qui eruditioni locum in palatiis diu assignarunt splendi-  
dum, hinc nutriti literatorum hominum, qvos eo nomine  
dignos egregia probavit virtus, monstra Imperiorum dominant,  
qvæ vitarint doctos ut infastos & inutiles. quis enim patere-  
tur Principum, privatos quidem imitari privatorum bonos mo-  
res

res & laudem sibi quærere; Principem verò, cui gloria tanquam  
propria debetur, dissimilem esse laudibus Principum, qvibus  
isti ad cœlos usqve ab omniorbe extolluntur? Hic Alexander ille Magnus qui virtute bellicâ orbem terruit vel devicit,  
nec tamen, ut ad arma vénit, artes fastidiit: sed & doctes in-  
contubernio suo habuit, audivitqve; Ibi maximâ ornatur laude  
Cæsar Octavianus, qui nec in se modò volebat eruditioñem,  
sed in administris necessariam censebat; Est in æternâ gloriâ  
Vespasianus, qui sapientibus viris fores patere semper voluit; E-  
gregius habetur Imperator Severus, qui amavit literatos. Ergò inter  
horum laudes aliquid loci suæ gloriæ postulant boni, Principes.  
Quippe qvâ utriusq; temporis & bellorum & pacis arbitros eos  
dedit *summus Imperator*, non potest non eruditioñi apud i-  
psos locus esse, qvæ non tantum ornatas eorundem mentes or-  
natores reddat, & particulam cœlestis animi, qvâ videntur  
supra cæterorum hominum conditionem ab ipso Numinе evecti,  
sublimiorem excitet, sed favorem viris literatis & honestis ac  
firmissimum conciliet patrocinium. Hinc unusquisque lauda-  
tissimorum Principum, qvò magis ipsi curæ salus subditorum,  
non fortunâ sed virtute consultrice viros eligit, à qvibus possit  
republica in partib; ejus ipsis credendis gubernari; præcipue  
verò ut Imperatoriam Majestatem oportet legibus esse arma-  
tam, Jurisperitis patent fores Principum, iisdem pa-  
dignitates, nec patitur Principum liberalitas eos in paupertate  
mori. Hæc est literatorum spes, si studiis strenuè incubuerint.  
*Eòque bonitiores eunt virtutis trahit.* Cæterum, Lett,  
Honoratiss. ut sunt mores hominum, perverso prorsus judicio  
multi decipiuntur Academici, qui futurâ barbarie confisi, ex  
otio honores sperant & præmia. tantum enim valet in paucis  
fuisse exemplum, qvod sine eruditioñe splendor. Interea ve-  
rò nondum conclamata res est, utpote cum meliori mente  
Musis atqve Themidi sua dederint nomina optimi  
Juvenes. hinc eruditio orbi novum subinde incrementum, &  
validissimum contra infastam barbariem præsidium. Equidem  
ut aliorum virtutes fileam, qvæ huic Academiæ hac tenus inno-  
tuerunt

tuērunt, maximè deprehendenda venit eruditio, quā egregiè  
eminent *Jurisprudentia* cultores *Nobilissimi*  
*atque Præstantissimi.*

DN. M. SAM. FRID. RAPPOLT, *LIPS.*  
DN. JOH. GEORGIUS WEIDENKOPF,  
*ROSTOCH.*

DN. DIETERICH WULFRATH *Rost.*  
DN. JOACH. ZINCK, *WISMARIENS.*  
DN. CHRISTIANUS HENR. POSTEL,  
*HAMBURG.*

DN. JOH. JOACH. BESELIN, *Rost.*

Scilicet non idcirco ipsis eruditio contemptu fuit, quia ita  
quibusdam videatur: quin potius ex consilio Gregorii stultos  
atque imperitos habuerunt, qui hoc existimant; qui omnes  
sui similes cupiant, ut privata eorum inscitia sub communi de-  
liteat, nec quisquam ipsorum imperitiam prodat &  
arguat. Hinc spreto malevolorum strepitum, qui pleno ore  
literarum infortunia subflannant, potius indefesso studio hacte-  
nus veræ eruditioñ quærunt laudem. Macte consilio. Latabi-  
tur enim literaria respublica istiusmodi luminibus atq; salubri-  
ma capiet incrementa; tum quia virtus pariter atque eruditio ca-  
ligine obvolvi nescia; non dubium, quin ipsorum artem quæ  
vis terra alat. Certe non incerto omni, quæ sentio, loquor;  
quandoquidem, quia hodierno seculo frigent aræ (ut ita loquar)  
Themidis & Apollinis, & juventus pleraq; somnolenta digni-  
tates ambi minimè dubitandum puto, quin alacri manu palma  
sit præcipienda. Memini quod divinus Plato dixisse fertur; Quis?  
quis probus est inter Athenienses, cum insigniter probum  
esse, nimicum quod in male morata republica nullâ insici &  
depravari vitiorum contagione, eximia virtutis argumentum.  
Sed nequaquam latet, quibus vitiis laboret alioquin juventus;

que ut lubricas habet vias, in iisdem insisteret, aut ingredi sine  
casu aliquo vix potest, facile decepta externis rerum formis. At-  
tamen ut isthac quidem etas excusat juvenes, si voluptates satie-  
tate abjecisse, & experiendo contemptissime videantur; maximam  
laude dignos praedicare fasque jusq; postulat *bosse strenuo*  
*Juria Culores*, qui foeda isthac semper devitauit volupta-  
tum illectamina, & virtutis viam, ut Alcides, magno animo  
& constanti proposito ingressi, in eaque indefecto vigore statio-  
nem tenuerunt. Sic enim licet alii saepius ejusdem etatis juve-  
nes vina malle videantur, que in Nysa monte Bacchus plantas-  
se dicitur, hi potius egregia naturae bonitate dulcissimum ama-  
runt aqua & boni liquorem, atque odorisera variarum discipli-  
narum aromata. Hinc imbuti literarum ubertate & juris artem  
probè docti, optimo consilio publicè probare suam eruditio-  
nem nec dubitarunt, secuti in eo sacratissimi nostri Imperatoris  
praescriptum. etenim ut tribus quidem annis prioribus Avoce  
magistrorum pendere voluit studiosos *Justinianeos*, *Ediſtales* &  
*Papinianos*, quales Græcis prælertim Pythagoricis ~~aus~~ <sup>et</sup> ~~igit~~ dice-  
bantur; sic quarto anno recitandi mutus per se subire, & juris  
nodos utcunq; solvere jussit juvenes, qui dicebantur *Lytæ*, sive  
*Solutores*. vid. Turneb. l. 4. adverſ. c. 19. Ergò QVID DEUST.  
O. M. FELIX ATQUE FAUSTUM ESSE JUBEAT! quod magis  
huic Imperatoris laudatissimi instituto satisfaciant Juvenes  
Optimi, publicis eruditorum examinibus me quidem *Peſide*  
in hac almâ Academia submittent. *Clarissimi Jcti Alt-*  
*torffini B. Wilhelmi Ludwellii XII X. disputati-*  
*ones Justinianæas*, concinnum Jcti solidi & lucidi dispu-  
tatoris scriptum. Sanè dignum *Lytis* sive *Solutoribus* inst. tutum.  
Scilicet Romana Jurisprudentia, cuius nos studiosos profite-  
mur, duplex Jus comprehendit, autore Antonio Fabro Jcto  
undiqueque celeberrimo, *Jus nempe receptum & constitutum*.  
Illud quidem est quod Princeps ob salutem civium, & insi-  
gnem reipublicæ utilitatem svadente æquitate atque ratione in-  
troduxit; hoc verò à proprio legislatoris motu cepit originem,  
cujus

eujs nulla alia ratio , quam qvòd ita legislatori satis & bonum  
visum fuerit , ut modus aliquis in rebus constitueretur. Sed  
utrinq; ve laquei , ad qvos enodandos arte opus est etenim  
qvis nescit cimmeriam nostræ ignorantia caliginem , qvâ obruti  
impingimus ubicunq; , erramus , labijmusr. Eapropter ma-  
gnum opus & arduum est , explorare legum rationes , de qvi-  
bus tamen cognoscendis laborare decet Juris studiosum : nec  
minor difficultas demonstrandi , qyomodo jus Civile suum  
retinuerit officium , dñm juri naturali non per omnia serviens ,  
nec tamen ab eq in totum recesserit. Adeo in vastissimo juris  
oceano subeundæ sèpiùs tempestates. Sed insurgentes sèvum  
minantur naufragium cùm in omni jure sive sit receptum , sive  
constitutum , tot dissensiones legum reperiantur. etenim ut  
Tribonianus cæteriq; juris compilatores homines fuerunt , à  
qibus humani nihil alienū putari debet , ita facile suo labi pro-  
posito potuerunt , nimis ut nulla in omnibus antinomia ali-  
qrem sibi vendicet locum , sed sit una concordia , una consequen-  
tia , adversario nemine constituto. Sic effici non potuit , qvin ex  
tot myriadibus collectæ leges controversiis implicarentur ,  
præprimis propter tam breve tempus , qvo in compositione juris  
Tribonianus , cæteriq; usi sunr. Attamen utut summi for-  
fan in componendis juris controversiis artificis foret , nedicam  
audaculj , profiteri nullas dari in jure nostro antinomias ; ita  
nec ad qyamvis legem oppositam obmutescere decet Jurispe-  
ritum , aut ad antinomia prætextum tanq; sacram qyandam  
anchoram confugere ; qvin potius seqvimur id , qvod Impera-  
tor præscripsit in l. 2. §. contrarium 15. C. de veter. jur. encl.  
ut subili animo (qualiscunq; nobis datur ) diversitatis rationes  
inquiramus. Hoc opus , hic labor. Sed qvisq; alacriori mente  
præditus consensum legum indagando diu sudaverit , vix est , ut  
gloriari possit de sua industria ; namq; adversarius negat , in-  
stat , & contrariam tuendo opinionem , subtiliter , argutè fun-  
damenta labefactat. Hæc fortuna nostra jurisprudentiæ Justinia-  
nea , ut sublatura veterum Jurisconsultorum dissensiones , plures

sectas

sectas pepererit. Qvis nescit satis probabiliter unam eandemque  
Juris quæstionem ab hoc affirmari, ab illo negari? qvæ juris  
controversia plures excitantur, qvò magis accedit cujuspiam  
dissentiendi studium. Sed ecqvod remedium huic malo?  
Primi Interpretæ ad *Communes Opiniones* configurerunt, qvas  
numerare potius qvā recto judicio ponderare faterentur, re-  
ctius (nī fallor) ob id notati à Jurisconsultis, qvorum industriæ  
melioris literaturæ fax iterum illuxit Jurisprudentiæ, ut illa situ  
& squalore obsita nativæ dignitati suæ restitueretur. qvandoquidem  
sic coeci qvondam ambularunt, nihil habentes certi, ni-  
hil firmi, nihil explorati, qvorum quidem ductores si Hierony-  
mus de Cævallis Toletanus suo *Speculo Communium Opino-*  
*nium contra Communes fugasset*, eheu! qvænam non in-  
certitudo hominum, qvi cæci in peregrinâ verlabantur  
regione. Dicam qvod res est, idqve testimonio Juris-  
consultissimi Oratoris M. Tullii, non tam auctores, in-  
quit, in disputando, qvā rationis momenta querenda  
sunt, qvin etiam obest plerumque iis, qvi discere volunt,  
auctoritas eorum, qvi se docere profitentur. desinunt enim  
suum judicium adhibere; id habent ratum qvod ab eo, quem  
probant, judicatum vident. Nec verò probare soleo id, qvod  
de Pythagoreis accepimus: quos ferunt, si, qvid affirma-  
rent in disputando, cùm ex iis quereretur, quare ita esset  
respondere solitos, IPSE DIXIT. Ipse autem, erat Pythagorus,  
tantum opinio prejudicata poterat, ut etiam sine ratione vale-  
ret auctoritas. Sed sine lege & contra legem non valet Inter-  
pretum auctoritas. Ergò ab eo exspectamus medicinam, cujus  
qvodcunqve placet legis habet vigorem. Ecce! olim obser-  
vari solitum, ut qvoties gravis aliqua & perplexa juris incide-  
ret quæstio, fori qvædam institueretur disputatio, Jurisconsul-  
tis simul congregatis: eaq; fori disputatione jus qvoddam com-  
muni prudentum definitione cōpositum, qvod jus communis  
nomine appellabatur jus civile, jus receptum, recepta senten-  
tia & regula juris, velut notat Rævard. de anter. prudent. c.

B

14.15

14. 15. *Ead. i. D. de R. I.* capropter eādem ratione , ope  
& consilio Jētorum præstantissimorum , eliminatis alteratio-  
nibus , sive dissidentium inter se opinionibus , unam instar  
legis valitaram præscribi salus almæ Justitiæ non mediocriter  
postulat . Viam præmonstrasse videtur Invictissimus Cæsar  
Carolus V. in Comitiis Spirensibus Anno M. D. XXIX. §.  
item als bissher, in famosâ illa (sic loquitur Stephanus Nathen  
sub initio elegantissimi libri de justitiâ vultierata) at partibus  
litigantibus carâ qvæstione : *An fratribus filii succedant in-  
capita ; an in stirpes ;* decidit enim ut in capita succedant .  
Sic eodem nomine Serenissimus Saxoniæ Elector æternâ lau-  
de dignus , qui glorioſissimè definiuit qvam de controversiis  
nonnullis opinionem sectari Assessores in Saxonice Dicasteriis  
doporteat . Eqvidem licet in Imperio nostro Germanico (utinam  
tibi ô Sacra Monarchia non omnis splendor obfolecat Romani  
nominalis) optandum foret , ut in statu quoq; politico circa le-  
ges hâc in parte omnis cauſa in integrum restituere tur, nihil o-  
minus qvoniā in votis spes cuncta desinit , idcirco unius-  
cujusque erit hac tenus , dum Juris Justinianeī auctoritatē  
seqvimur , ipsius leges fedulò evolvere , scrutari , & sententi-  
am juri maximè convenientem eligere , probare , defendere .  
*Hinc undecunq; patet disputationum utilitas & necessitas .*  
qvandoq; idem legum rationes haud feliciori viâ possimus in-  
vestigare , qvam si dubitantem audiamus , & si qvas legum  
conciliations adinvenerimus , earum vim atq; robor ad al-  
terius negantis pertinaciam comprobemus ; namq; id simili-  
fit ratione atq; faber , qui ægides & ferreos thoſaces con-  
ficit , nemini de firmitate eorum satiſ cavet , niſi vel haſtae  
vel ſclopeti iustum eos ſuſtinere probaverit . Recte igitur  
puto à Dd. nostris traditum , notando atq; disputando qvæ-  
cunq; optimâ ratione dijudicari : quod exemplo Herennii  
Modestini Arcadius Charisius comprobat *l. ult. §. 2. D. d.*  
*mun. & honor.* tum veritas in diſquifitionibus ſæpius exagi-  
tata , magis ſplendescat & eluſcat , nec non ſicut aromata  
con-

contrita magis redolent & delectant, ita veritas qvō magis  
oppugnetur, tanto splendidior expulsis nebulis in lucem & au-  
ras progrediatur; & qvæ plura disputationum encomia enar-  
rant Jcti, qvæ qvidem tanq;am hereditaria plurimi immota  
serie retinuerunt. Sed omnia in memoriam revocare non  
juvat, cūm nemo non varijs motus auctoritatibus Philoso-  
phorum id nobiscum proclaimare videatur; DISPUTATIO VE-  
RUM INVENIT. ergo bonum invenit, qvo nihil dulcius.  
Veri enim cognitione, ait Laetantius, nulla est homini ju-  
cundior voluptas. Adhæc qvæso, qvodnam quantumque do-  
num est celeritas intelligendi, & discendi acumen! qvid præ-  
stantius eloquentiæ fori dominā, innocentiæ patronā, scele-  
rum ultrice? Sed ingenia vegetiora & alacria reddit disputa-  
tio, judicium acuit, celeritatem gignit, erudit lingvam, &  
memoriam confirmat. namq;e disputando promptius discimus,  
melius qvæ didicimus scimus, aptius qvæ scimus eloquimur, &  
firmius recordamur,

*Scilicet ut crebris silicis micat ictibus ignis,*

*Sic isto Veri lumina Marte patent.*

*Adde, qvod eloquium vires certamine sumpsit,*

*Ingeniumq;e suas plenius auxit opes.*

*Non fecus acibulâ per se pugil acer arenâ,*

*Sic crebro certet, fortius arma capit.*

Egregiè hæc omnia comprobant mores veterum Athenien-  
sium, qvibus omnis fermè docendi discendiq;e forma dis-  
putatione occupabatur; nec alia ratio veterum Jctorum,  
cūm in disputando iis omnis vis ingenij poneretur; qvare olim  
Minerva qvoq;e armata fuit picta, nimirum, qvia doctrina  
non nisi acriter pro eâ disceptantibus præda fiat. His acce-  
dit suâ authoritate Cicero eloquentiæ Romanæ decus, quando,  
*mibi semper, inquit, Peripateticorum, Academiag; conservudo*

de omnibus rebus in contrarias partes differendi, non ob eam  
solam causam placuit, quod aliter non possit, quid in unaquam  
que reverisimile esset, inveniri: sed etiam, quod esset ea ma-  
xima dicendi exercitatio, quā Princeps usus est Aristoteles. Hinc  
Thomas Erasmus, Medicus Philosophus, qui Academiam Basiliensem  
docendo disputandōque illustravit, disputationes mi-  
rificè extollebat Academicas, quod ait Zwingerus, adeoque  
nec ipsum ulli unquam disputationi intercluso constanter  
affirmabat, ex quā non fructum perceperisset haud pœnitendum:  
seriōque hortabatur collegium Medicum ut menstruas dispu-  
tationes medicas, ad studiosorum ingenia exercenda magno  
judicio institutas, & constanter hæc tenis observatas, etiam præ  
inauguralibus aliis, fovere & ampliare pergerent. Hæc Zwing-  
erus. Profectò optimum boni Medici consilium; sed o-  
mnes Academiæ in Germaniâ, Galliâ, Italia illud compro-  
banit, & in omnium literatorum animis firma stat sententia  
de utilitate disputationum, eaque propter eō magis laudant,  
quò diligentius hæc exercitia in Academiis frequentantur. At-  
tamen non semper est benignum eundis fatum, quia ad unum  
quodque disputationis exercitium non sola sufficit Professorum  
diligentia, sed requiritur persona Répondentis: id est lau-  
dem maximam mereri mihimet videtur decretum illud Aca-  
demia Blurgum, placere, ut quotannis ex juvenum jurio  
studiorum numero, qui jurisconsultorum judicio probatis  
selecti, & ad Bulen ipsam, seu Senatum producti fuerint, se-  
ptem ut minimum ad solennes honorum Scholasticorum grā-  
dus magnifico, & visendo riū, in frequentissimo Professo-  
rum omnium, atq; adeò Magistratum, & splendidissimorum ci-  
vium confessu, quo majore theatro spectata sit eorum virtus, &  
eruditio, publicis impendia promoteantur. Et ut autem ea pro-  
batio & electio ab omni gratia et ambitione remota sit, placet,  
eos demum hoc honore dignos jūdicari, qui certo statuoque tem-  
pore, in publicis auditoriis assidui, non sine librīo (contra quāne-  
basse-

hac tenuis facilitatum sit) Professoribus ordinariis operam dede-  
rin, non levem & perfunctoriam, ut antebac, sed plenam,  
iustam atque inculpatam: quique professores suos frequen-  
tius consulendo, ac disputatione laceffendo, ipsis diligentiam  
suam, studium & industriam approbaverint. Scilicet. Et cum  
Doctora gradus summum sibi honoris fastigium, ad quod  
non temere querendum adspirare decet, ne obsolescant tanta  
dignitatis insignia; placere, nemini ad eum dignitatis gra-  
dum hac via ascensum patere; qui non aliquot publicis dispu-  
tationibus (quas Repetitiones vocant) ingenii profectus, erudi-  
tionis specimen, & documentum non obscurum dederit. Quod  
in genere, qui ceteris frequentiis, subtilius & diligentius esse  
exercuerit, suorum exemplo ad utilissimum studiorum exercendo-  
rum genuz alios inflammaverit, banc ceu Candidatorum o-  
mnium dignissimum corandem juriisconsultorum suffragia re-  
nuntiari. vid. Duaren. oper. pag. m. 1117. Laudo Sapientissimi Se-  
natū decretū. nam quia in Doctore maximè reqviritur, ut mori-  
bus, doctrinā & facundiā ceteris antecellat, certè nemo non vi-  
det, eò dignitatem unumq; vñq; esse, qvō frequentius subierit  
isthac disputationum exercitia. pudor est docere velle, & hebeti  
ingenio & iudicio laborare; publico experimento suam sistere  
eruditioē, nec aliud quippiam nisi obsurduisse vel obmutuisse  
publico probare testimonio. Ergo prodire səpius in publicum  
præprimis juvat, ut obfirmetur animus: adversarii acumen expe-  
xiri, ut ingenium excitetur: p̄tinaciam tolerare, ut solvatur  
lingua. Sic in Academiis gloria quæritur; sed nec cruda studia  
in forum detruduntur. ut enim quispiam creberet in reperiendis  
solitus in explicandis sententiis, tum legum & consuetudinis e-  
jus, qvā priuati in civitate utuntur, & ad respondendum, & ad  
agendum, & ad cavendum peritus, postea feliciter dirimit ambig-  
gua fata causarum, suæque defensionis viribus in rebus publicis  
& priuatis lapsa erigit, fatigata reparat. Scilicet, ea tamen est  
inter aciem fori, & nostra Academica studiorum exercitia  
diversitas, teste Eumenio, ut h̄c ar. entur ingenia, illuc prælien-

tur: hic præludio, ibi pugna committatur. Sed plerumque ve-  
lat sudibns & saxis ibi dimicatur, & affectus fert extra causam,  
& plerumque deformia convicia facere ac mereri cogit; hic  
vero semper telis splendentibus certatur, ibi sudore & quasi  
pulvere sordidus, hic insignis ornatus laudatur ornatior. Ami-  
ca nostra pro veritate decertatio est, quæ cuncta jurgia excludit,  
mutuaque maledicta, adeoque sic abire cupiunt, qui disputant,  
ut rem ipsam definientes se invicem solum doceant & discant.  
Hæc vera disputandi ratio, namque signum non incertum est im-  
potentis animi, excandescere & tumultu omnia confundere,  
adeoque imitari Menedemum Eretiensem, qui in disputando  
tantæ fuit vehementia, ut ex illius oculis ardentes scintillæ egredi  
viderentur, teste Laertio. Odio haecenus habetur istiusmodi  
impotentia, & unusquisque bonus abstinet, ne pœnitentia pigate-  
que auscultantes ipsum audivisse, nec placet amplius, quod  
convenerat inter Franciscum Philadelphum Tolentinatem & Ti-  
motheum quendam Græcum de vi syllabæ contendentes, ut  
barbâ vietus multaretur. Superbe istiusmodi ineptiæ recesser-  
runt à nostris cathedris. Sed his ulterius non immorandum,  
præscripti enim mihi cancelli non patiuntur fusiorem telam;  
attamen Joh. Pici Mirandulae Principis auctoritas movet, ut pau-  
ca hisce, anteqvam finis orationi fiat, subjiciam. Hic dispu-  
tator fuit subtilis & vehemens, ut nonaginta quoque problemata  
Romæ ad disputandum proposuerit, & anno ante per univer-  
sum orbem Christianum miserit, peregrinis ejus gratia eò  
venturis sumptus se refusurum, principali magnificentiâ polli-  
citus; nihilominus ad extremum disputationes publicas, qua-  
les sunt nostræ Academicæ, velut theatrales & ad ostentatio-  
nem tantum factas damnavit, qvod non tam ingenia acumine  
exercent theorico, quam fumosâ replerent pertinaciâ, cum  
gladiatorio tantum animo ad vincendum potius, quam ad do-  
cendum, discendumq; plerique accederent. Verum enim vero  
nodus est vix dignus vindice. Etenim ut rationes fileam, quas  
suprà attigi, quæ disputationes publicas præprimis eyehunt, hæc  
qvo-

qvoqve utiles probat istas , qvia in privatis quidem colloquiis  
sibi prorsint juvenes, at si publice rationibus conquisitis de re a-  
liqvâ disputent, maximè cùm ipsis, tum etiam plurium rationi-  
bus possit conducere. Ne dicam, qvòd exemplo diligentiae po-  
tissimum excitentur commilitones ; adhæc pluribus inno-  
telcat, qvid veræ sententiæ opponi, qvidve ad illud responderi  
possit, atqve in agnitiâ veritate firmius omnes reqviescant. Nec  
veritati officit, etiamsi adversarius accedat eo animo, ut amicus  
amicō demūm cedat, atqve ei qvi respondet palmam porrigat;  
veritas enim plerumqve tantūm à laqveis & nodis liberatur, &  
siqvidem qværatur in causâ dubiâ, cui utrinque sunt patroni, au-  
ditoribus minimūm patebit; qvi erunt æqvi judicēs. Magis lau-  
danda erit disputantium modestia, qvi annuntiantur, ut mediocri-  
tatem servent , & perqvirere malunt, qvod erat propositum,  
qvām hostiliter certare.

Cæterūm ne longius in  
altum evehar, velā contraho, laudoqve No-  
bilissimos Jurisprudentiæ Cultores, quorum  
nomina recensui , qvòd utilitatem disputa-  
tionum secum in animo consideraverint, se-  
dulò laboraturi, ut verā disputandi ratione  
auditorum exspectationi satisfaciant. Hic  
igitur præprimis ipsi vota faciunt, freqventi  
atqve splendido Auditorio probare studio-  
rum progressus & diligentiam ; Ego verò,  
in conspectu Optimorum plurium Præsidis  
atqve Judicis partes sustinere. Qvapropter

**MAGNIFICUM Dn. PRO-RE-  
CTOREM,**

**CTOREM**, Nobilissimum, Amplissimum-  
que utriusque Reipublicæ Senatum, cæte-  
rosqve omnes omnium ordinum cives Aca-  
demicos, & literatos, horumqve Fautores,  
obsvranter, officiis & per amanter roga-  
mus, ut hisce nostris exercitiis præsentia suā  
honorificâ splendorem addere haud graven-  
tur. Nos omnes summo studio annitemur,  
ut nullo unquam tempore tantorum be-  
neficiorum memoria ac fama  
moriatur.

**FINIS.**






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn742473554/phys\\_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742473554/phys_0019)

DFG



hæc tenus factitatem sit) Proffessoribus ordinis, non levem & perfuctoriam, ut angustam atque inculpatam: quique professorius consulendo, ac disputatione lassifendo, suam, studium & industriam approbaverit. Doctor gradus summum sibi honoris fasti non temere quenquam admirare decet, ne dignitatis insignia placere, nemini ad eundum hæc via ascensum patere, qui non aliquidationibus (quas Repetitiones vocant) ingenitionis specimen, & documentum non obscurum in genere, qui ceteris frequentiis, subtilius exercuerit, suog; exemplo ad utilissimum studiorum genus alijs inflammaverit, hanc ceu omnium dignissimum coram juri consulto nuntiari. vid. Duaren.oper.pag.m.1117.Laudo natus decretū. nam qvia in Doctore maximè rebus, doctrinā & facundiā ceteris antecellat, cedet, eò digniore unumqve esse, qvò frithæ disputationum exercitia, pudor est docere ingenio & iudicio laborare; publico experientiæ eruditio, nec aliud qvippiam nisi obscuruissimo publico probare testimonio. Ergò prodire se præprimis juvat, ut obfirmetur animus: adversarii, ut ingenium excitetur: pertinaciam tolerant lingua. Sic in Academis gloria queritur; sed in forum detruduntur. ut enim quispiam creberit solutus in explicandis sententiis, tum legum & ius, qvā privati in civitate utuntur, & ad respondendum, & ad cavendum peritus, postea felicitate sua fata causarum, suæque defensionis viribus in & privatis lapsa erigit, fatigata reparat. Scilicet inter aciem fori, & nostra Academica studi diversitas, teste Eumenio, ut hic ait. entur ingenii

B3



Patch Reference numbers on left  
 Scan Reference Chart T263 Serial No.  
 Image Engineering